

aliquid cecidit, sic evenit, ut vel non cadere, atque evenire, vel aliter cadere atque evenire potuerit? quo modo ergo id, quod temere fit, caeco casu et volubilitate fortunae, praesentiri et praedici potest? Medicus morbum ingravescentem ratione providet, insidias imperator, tempestates gubernator: et tamen hi ipsi saepe falluntur, qui nihil sine certa ratione opinantur. Agricola, quum florem oleae videt, baccam quoque se visurum putat: non sine ratione ille quidem; sed nonnunquam tamen fallitur. Quod si falluntur ii, qui nihil sine aliqua probabili conjectura ac ratione dicunt: quid existimandum est de conjectura eorum, qui extis, aut avibus, aut ostentis, aut oraculis, aut somniis futura praesentiunt? Nondum dico, quam haec signa nulla sint, fissum jecoris, corvi cantus, volatus aquilae, stellae trajectio, voces furentium, sortes, somnia: de quibus singulis dicam suo loco; nunc de universis. Qui potest provideri, quidquam futurum esse, quod neque causam habet ullam, neque notam, cur futurum sit? Solis defectiones, itemque lunae, praedicuntur in multos annos ab iis, qui siderum cursus et motus numeris persequuntur: ea enim praedicunt, quae naturae necessitas perfectura est. Vident ex constantissimo motu lunae, quando illa, e regione solis facta, incurrat in umbram terrae, quae est meta noctis, ut eam obscurari necesse sit: quandoque eadem luna, subjecta atque opposita soli, nostris oculis ejus lumen obscuret; quo in signo quaeque errantium stellarum, quoque tempore futura sit, qui exortus quoque die signi alicujus, aut qui occasus futurus sit. Haec qui ante dicunt, quam rationem sequantur, vides.

Qui thesaurum inventum iri, aut hereditatem venturam dicunt, quid sequuntur? aut in qua rerum natura inest, id futurum? Quod si haec, eaque quae sunt ejusdem generis, habent aliquam talem necessitatem; quid est tandem, quod casu fieri, aut forte fortuna putemus? Nihil enim est tam contrarium rationi et constantiae, quam fortuna: ut mihi ne